



R 16.617







G. XXV, Tab. 3^a, n. 15 (N. 2^o)

CLEMENTI. XIII

PONT. MAX.

BONO. CHRIST. REIP. NATO

PIO. INDVLGENTI

RESTITVTORI. PACIS

THESES. EX. IVRE. CANONICO

PAVLO. FRANCISCO. ANTAMORIO

SAC. CONSIST. ADVOC. ET. ROMANI

ARCHIGYMN. RECTORE. ANNVENTE

PVBICE. IN. COLLEGIO. GERMANICO

HUNGARICO. AD. DEFENDENDVM

PROPOSITAS

PRESB. CONRADVS. GEORGIVS. EX. S. R. I.

EQVITIBVS. DE. BVOL. A. BERENBERG

DYNASTIS. IN. MÜHLINGEN

EIVSD. COLLEGII. ALVM. S. TH. DOCTOR

BRIXINENSIS. ECCLESIAE. CANONICVS

L. M. D. C. Q. D. N. M. Q. E.

R. 16617 (A)

OLIVIERI, L. M. D. C. O. D. N. M. Q. E.

BOHO, CHRIST. R. H. N. M. Q. E.

REZZI, V. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

FRANCESCO, A. M. Q. E.

BEATISSIME PATER.



Uum earum disciplinarum studio, quæ Ecclesiastici hominis proprie sunt, quæque omnium gravissimæ merito babentur, legitimum operæ, ac tempo-

poris cursum in celeberrimo Collegio hoc im-
pendissem; decrevissemque, quod more ma-
jorum recte, ac sapienter comparatum est,
disputationem publice instituire; atque huic
obeundo muneri Theses ex Jure Canonico,
quo cum primis genere delectari soleo, consti-
tuissim: magnopere optavi, BEATISSIME
PATER, ut liceret mihi, hoc, non ingenii,
ac doctrinae dico, quod mihi minime arro-
go, verum diligentiae, ac sedulitatis speci-
men, Tuo Sanctissimo Nomine consecrare.
Ecquid enim mihi optabilius esse, aut ve-
ro honorificentius poterat, quam Ecclesia-
sticorum studiorum meorum publicam pro-
fessionem amplissimis omnium Pontifici
Maximi auspiciis ornari, eique volumi-
nem, studiumque probari meum, qui Ca-
tholicae Ecclesiae universae praesideret? At-
que ego quidem quum hujus rei veniam,
quum

quam cupidissime rogaram, prolixè abs Te,
BEATISSIME PATER, quæ Tua est in
summo isto dignitatis, potestatisque fasti-
gio summa humanitas, impetravissim; ma-
gnæque opere non solum honore letarer sin-
gulari meo, sed gauderem etiam occasione
testificandæ communi totius hujus Collegii
nomine devinctæ vehementer Tibi, obstri-
ctæque beneficio voluntatis, cujus Collegii
tanta apud Te, tamque egregiis significa-
tionibus clarata cura plane paterna excu-
baret in eo jam eram, ut munere hoc ju-
sto, prorsusque debito fungerer, quum ecce
subito ante hos paucos dies novo me ipsum
beneficio, atque insigni Tuo, Cathedralis
Brixinensis Ecclesiæ Canoniorum Collegio
adscribens, munifice dignatus es. Itaque
quod ego ultro a me officium deferri puta-
bam, id tanta hac delenda gratiæ accessio-
ne

ne sic jam mihi intelligo ad persolvendum
incumbere, ut mea me tenuitatis tædeat,
qui par non sim tanta beneficentiæ non mo-
do insigniori aliqua testificatione, quod ma-
xime vellem, verum ne hoc ipso quidem
tantulo munere, quod suscepi, pro rei di-
gnitate obeundo, prosequenda. Quamquam
in summa ista, rebusque humanis omnibus
longe excelsiore Ecclesiæ universæ Ponti-
ficatus dignitate, eidemque conjuncta be-
nefaciendi amplissima potestate, ecquid,
non a me, dico, verum a quovis demum
quantavis facultate præstante, suscipi, effi-
cique possit, quod ad referendam gratiam
pertinere aliquo modo posse videatur? Quod
si, quum referendæ par nemo esse queat,
profitendæ, præ seque ferendæ studio quem-
que oportet contentum esse: ego certe, qui
hoc ipso studio concedam nemini, non erit,

cur

cur magnopere eo nomine facultatem mi-
hi ampliorem requirendam putem. Quod
meum studium obstrictissimæ voluntatis, quo
gratius Tibi, BEATISSIME PATER, atque
acceptius sit, cujus in Christianæ Reipu-
blicæ salutem, atque tranquillitatem inten-
ta mens, & cogitatio defixa est, ad gratu-
lationis officium convertam, quod diutur-
narum curarum fructum, feliciter redinte-
grata concordia, amplissimum, Reique pu-
blicæ salutem es consequutus. Ac com-
munibus omnium bonorum votis insistens
nullum faciam petendi a Deo, atque obse-
crandi finem, ut Te, BEATISSIME PATER,
Ecclesiæ suæ quamdiutissime sospitem, in-
columemque conservet, efficiatque sua ope,
ut, quæ cura Tua summa, & assidua est,
confirmetur, atque amplificetur abundan-
tia pacis, ad publicam Ecclesiæ felicitatem

tem, ad gratulationem Catholici Orbis,
& ad memoriam, laudemque Tui Pontifi-
catus sempiternam.



THESES

EX JURE CANONICO.



ECCLESIÆ nomine, ejus quam militantem dicimus, intelligitur societas hominum Christianam Religionem profitentium, a Christo instituta.

2. Est proinde Ecclesia hæc omnino visibilis.
3. Quamobrem turpiter Protestantes errant, Ecclesiam sibi invisibilem confingentes.
4. Huic Protestantium errori affinis est eorum error, qui statuunt, imperium in hominem ita a Deo Civilem in-
ter, atque Ecclesiasticam potestatem esse divisum, ut cor-
poribus hominum imperet, ac jura constituat Civilis pote-
tas, animi Ecclesiastica. Qui quidem præterea error sua
sponte absurdissimus est, ac non minus Ecclesiæ, juri que
Canonico, quam Civili juri, Reique publicæ exitiosus.
5. Ne illa quidem accurata distinctio est, qua nonnulli
utuntur, Canonico juri salutem, atque felicitatem *interni*
hominis, Civili *externi* esse propositam. Atqui neque Ci-
vili officia solum *externa*, neque Christiani sunt omnia *in-*
ter, quantumtaxat; verum utriusque, partim animi, partim
corporis actione continentur.
6. Vera autem, atque accurata utriusque Juris, adeo-
que Ecclesiasticæ, ac Civilis potestatis distinctio in eo est
posita, quod huic temporalis hominum felicitatis, illi sem-
piternæ propria incumbat cura; altera civilibus rationibus
præsit, altera religioni, rebusque divinis.

7. Jam-

7. Jamvero qui putant homines natura nulli humano imperio esse obnoxios, & aliquando ab omni societate solutos vixisse; voluntaria autem deinceps eorum coitione societatem conflata esse, Civilemque potestatem omnino ex eorum consensione ortam: hi non modo societatis originem minime veram statuunt, sed etiam fundamentum civilis imperii ponunt nimis angustum, & nec firmum omnino, nec stabile.

8. Præter Civilem potestatem, potestatem esse Ecclesiæ propriam, summamque administrandæ religionis, societatisque Christianæ, a Christo institutam, ex sacris Novi Testamenti libris, exque perpetua traditione jaminde a primis ducta Ecclesiæ temporibus, certo constat.

9. Itaque errant rursus magnopere Protestantes, qui, Episcopalibus Anglis exceptis, plerique omnes nullam ejusmodi potestatem Ecclesiæ a Christo tributam dicunt, qui Ecclesiam ipsam non in Reipublicæ modum comparant, sed privati Collegii loco habent.

10. Nam quod Pufendorfius statuit, si Ecclesiastica summa potestas sit, fore, ut *Status in Statu* sit, id vero esse abiurdum; rerum notiones miscens turbat, abutens vocabuli ambiguitate; cui vocabulo aliud subjectum est genus rerum ubi de Ecclesiastica potestate, aliud autem ubi de Civili agitur.

11. Atque hunc Protestantium errorem de Ecclesiæ non *Statuum*, sed Collegiorum numero habenda plethoricus Justinus Febronius ex Pufendorffio imprudens, ac ne ferrens quidem, imperitissime hausit; tametli deinceps admonitus, tacite retractavit.

12. Est in Ecclesia potestas legum de rebus ad Religionem pertinentibus condendarum.

13. Neque condendarum solum, sed etiam pœnis canonicis sancendarum.

14. Huic Ecclesiasticæ legislationi eo ipso obnoxius fit quisque, quod baptisinate suscipiendo in Christianam societatem cooptatur.

15. Ecclesiastica autem omnis potestas, quæ potestas clavium appellatur, apud Ecclesiæ Præsides omnino est, apud populum nullo modo.

16. Quamobrem non modo Protestantium democraticorum, sed etiam Edmundi Richerii merito explosus est, ac proscriptus error, qui clavium potestatem, totamque Ecclesiasticam jurisdictionem, affirmarat, Christum *primario, proprie, ac essentialiter* toti contulisse Ecclesiæ, Præsidibus autem Ecclesiæ *ministerialiter, & quoad executionem tantum*.

17. Hunc autem Richerii errorem Febronius quum in tomo priore suo adoptasset, in secundo autem abdicasse esset visus; tandem in tertio tomo tam sine dissimulatione, sine pudore complexus est, ut democratix Richerianæ planissime teneretur.

18. Univero quum ex Catholicæ Fidei doctrina populus expers sit Ecclesiasticæ potestatis; sequitur, legum Ecclesiasticarum coactivam vim nullo modo ex populi consensione, seu acceptatione pendere.

19. In hierarchico Ecclesiæ ordine summum tenet locum Romanus Pontifex, successor nempe S. Petri Principis Apostolorum.

20. Nam S. Petrum, successoremque ejus Romanum Pontificem, divino jure in Ecclesia universa primatum non honoris solum, atque ordinis, qualem vel Protestantium complures concedunt, sed plane jurisdictionis, obtinere, exploratum dogma est Catholicæ Fidei, divinis Scripturis consignatum, testatum perpetua Patrum traditione, omniumque Orthodoxorum consensione firmatum.

21. De

21. De qua omni re ita Febronius scribit, ut verbis, sententiisque primatum jurisdictionis apertissime oppugnans, a Catholicis omnibus, hoc est abs totius Catholicæ Ecclesiæ doctrina dissentire certissime convincatur.

22. Romanum Pontificem sequuntur in Ecclesiastica hierarchia Episcopi, quorum item potestas Christi institutione constat.

23. Neque eo secius Summo Pontifici Episcopi reliqui omnes divino jure subjecti sunt.

24. Neque solum se junctim singuli, sed vel omnes simul in Concilium collecti.

25. Immo vero ne haberi quidem legitimum, verumque Concilium Oecumenicum potest, nisi ex Summi Pontificis auctoritate.


26. Convocati autem a Pontifice, legitimeque celebrati Concilii, decreta tamen non prius vim legum obtinent, quam fuerint ab ipso Pontifice confirmata.

27. Multo minus licet Concilio Oecumenico in Pontificem Maximum (nisi si is hæreticus factus, ea ipsa re de Pontificatu decidisset) judicium exercere.

28. In summa, Pontificis Max. potestati Christiani, & Episcopi, sive divisim, sive collectim, omnes subjecti sunt; ipse nemini obnoxius est, nisi Deo.

DEFENDET . CONRADVS . GEORGIVS . DE . BVOL
PRÆSIDE . F. HERMANNO . DOMINICO . CHRISTIANOPVLO
ORDINIS . PRÆDICATORVM . SAC. THEOL. MAGISTRO
ROMÆ . IN . COLL. GERM. HVNG. IVRIS . CANON. PROFESSORE
... KALENDAS . MAIAS . AN. MDCCLXXIV.

BE



7

7

7

7

7

